



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ad annum Christi 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118618

§. 16. Tres diversæ Canones concipiendi normæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66653](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66653)

derata intentionis æquitate, necnon ^{Sæcul. XVI.}
 veneratione, quam inspiret auctoritas ^{A.C. 1563.}
 tam sancti, venerandique Concilii, cu-
 jusmodi fuerat Florentinum. Eapro-
 pter in Septimo Canone studiose atten-
 debatur, ut retineretur ea forma, cu-
 jus auctor erat Cardinalis Lotharingius,
 ita tamen, ut ea in quibusdam vocibus
 emendaretur, unde sequentes tres for-
 mulæ præscribebantur, inter quas pri-
 ma secundæ, secunda tertiae præfere-
 batur, adeoque eo etiam ordine illas
 proponere Legati jubebantur.

§. XVI.

*Tres diversæ Canones concipiendi
normæ.*

Porro tres hæ normæ erant ejusmodi.

I. *Anathema sit, si quis dixerit, Episcopos assumptos a Romano Pontifice, in partem sollicitudinis, non esse positos a Spiritu Sancto ad regendam Ecclesiam Dei in ea parte, ad quam assulti sunt, aut per Sanctam ordinationem non esse majores Presbyteris.* Præmissis his sequebantur ea, quæ in Canone per Lotharingium dictato continebantur, ac pariter in duabus aliis formis habebantur, hujus tenoris: *aut non habent Episcopi potestatem ordinandi, aut si habent, habent communem cum Presbyteris, aut Ordines ab ipsis col-*

C 2

lati

Sæcul. XVI. *latio sine consensu, & vocatione populi, ir-*
A. C. 1563. *riti sunt.*

II. *Anathema sit, qui dixerit: Ordinem, aut gradum Episcopalem non esse institutum a Christo in Ecclesia: aut Episcopos per Sanctam Ordinationem non esse majores Presbyteris.*

Tertia forma erat hæc: *Anathema sit illi, si quis dixerit: Episcopos nullo modo esse institutos a Christo in Ecclesia, aut per Sanctam ordinationem non esse majores Presbyteris,* Porro hæc forma non nisi septimum Canonem respiciebat: octavus vero ita sonabat: *Anathema sit, si quis dixerit, B. Petrum per institutionem Christi non fuisse primum inter Apostolor, & ejus Vicarium in terra, vel necesse non esse, ut sit in Ecclesia unus Pontifex, D. Petri Successor, eique æqualis in auctoritate regiminis, atque in Romana Sede legitimos ejus Successores ad hoc usque tempus non habuisse jus Principatus in Ecclesia, nec fuisse Patres, Pastores & Doctores omnium Christianorum, nec fuisse ipsius traditum a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem pascendi, regendi & gubernandi Ecclesiam universalem.*

§. XVII.

Canonum norma Romæ non nihil emendata.

Præter

